

182. — *R. ad 3^m Quæ.* Non peccat graviter, *per se*, ille qui amentem inducit ad excessivum potum, unde sequitur ebrietas, vel potius sequeretur, si amens non esset. Ratio est, quia fatuus, utpote jam usu rationis destitutus, nequit amplius se privare usu rationis, sicut cæcus non potest se privare potentia visiva: atqui, si fatuus non tenetur lege se non inebriandi, neque ille qui ei potum excessivum præbet contra hanc legem peccat. Dixi *per se*, quia si amens, post potum excessivum, soleat erumpere in blasphemias, et id sciat qui ad bibendum eum induxit, graviter hic peccabit contra legem naturalem; quia fatuus eam materialiter violat, cum ei in actu primo subjectus sit. *V. Comp. de Leg. n. 92. — Elbel, n. 769.*

CASUS XVIII.

DE EBRIETATE 4^o.*Capientes bifariam capti.*

UGOLINUS, die quadam in domicilio aggressus a duobus latronibus armatis, tempore noctis, mortemque indeclinabilem prævidens, sponte offert invisis hospitibus non solum numerosam pecuniam, sed etiam largissimum vini maxime generosi potum, cum aliis eximiis et validissimis liquoribus. Bibunt impigri nebulones, et mox jacent penitus ebrii. Tunc UGOLINUS, recuperata primum pecunia, advocatoque auxilio, latrones, ligatis manibus pedibusque, satellitibus tradit.

HINC :

QUER. *An de gravi peccato damnandus sit UGOLINUS, ex eo quod causam ebrietatis posuerit?*

SOLUTIO :

183. — *R. Neg.* Etenim posuit causam indifferentem, vinum scilicet et liquores ante latrones apponendo, nec eos ad ebrietatem induxit, sed tantum eam permisit gravi de causa; et effectus bonus quem intendit, malum effectum bene compensat. Nec dicas UGOLINUM non obtinere effectum bonum, seu vitam incolumen a latronibus servare, nisi per malum effectum, seu per ebrietatem: nam primum is intendit nebulones illos sedare et compescere, et eorum furor in vino extinguere. Præterea, ipse ponit occasionem ebrietatis, non vero causam necessario effectum producentem, siquidem latrones bibere possunt quin inebriantur; neque ad bibendum eos cogit, sed libere bibunt. Ergo UGOLINUS homines non induxit ad ebrietatem, sed tantum ad bibendum. Ergo ebrietatem non excitavit, sed tantum permisit. *S. Lig. n. 77*, ubi ostendit etiam esse licitum inducere alium ad minus malum ut a majori impediatur. — *V. Comp. n. 183.*

CASUS

DE VIRTUTIBUS ET VITIIS OPPOSITIS

SEU

De Fide, Spe et Caritate erga Deum et proximum; de operibus misericordie, seu de elemosyna et correctione fraterna; de scandalo, de choreis et spectaculis; de cooperatione.

CASUS I.

DE SCIENDIS ET CREDENDIS.

SIMPLICIUS, homo rudis, dum apud MACARIUM Parochum confitetur, de necessario sciendis et credendis interrogatus, valde ignarus reperitur: nescit enim Fidei Symbolum recitare, nec rationem reddere de mysteriis SS. Trinitatis et Incarnationis, etc. Confessarius autem indignabundus pœnitentem objurgat et increpat, velut hominem salutis suæ nimis incuriosum, et, denegata absolutione, eum dimittit, usquedum ea quæ ad salutem sunt scitu necessaria sciverit.

HINC :

QUER. 1^o *Quænam ut scitu necessaria habeantur?*

2^o *An possint absolvi ignorantes Symbolum, mandata Decalogi, mysteria Trinitatis vel Incarnationis Domini, vel hæc quidem scientes, sed nihil intelligentes?*

3^o *Quid de agendi ratione MACARII?*

SOLUTIO :

184. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o Quoad necessario credenda, scire oportet imprimis ea quorum cognitio et fides sunt de necessitate mediæ ad salutem, scilicet Deum unum et remuneratorem, seu finem ultimum; deinde mysterium SS. Trinitatis, mysterium Incarnationis D. N. J. C. Hæc duo mysteria sunt quidem scitu necessaria, saltem de *necessitate præcepti*; controversatur autem utrum hæc scire oporteat absolute de *necessitate mediæ*. Difficultas hæc est fere speculativa, cum in praxi illa cognitio omnino requiratur, saltem ex præcepto gravissimo. Insuper scire quivis debet præcipua Fidei capita, quæ in Symbolo Apostolorum continentur, saltem quoad substantiam, licet necesse non sit absolute ut memoriter eorum formula teneatur, neque ratio de singulis explicite reddatur. *V. Comp. n. 194 et seq.*

2^o Quoad regulam vitæ, scire opus est præcepta Decalogi et Ecclesiæ præcipua Sacramenta, seu Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ et Eucharistiæ, et cætera quando suscipienda sunt. Adde Orationem Dominicam, saltem quoad substantiam. *V. Comp. n. 201.*

185. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o Quoad mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, absolvi non possunt qui hæc ignorant : quare absolutio iis imperita, est certo illicita extra necessitatis casum, v. g. periculum mortis; quia Confessarius, talem absolvens, Sacramentum periculo nullitatis exponeret, ut patet ex controversia in Quæsito 1^o exposita. An autem valida? controvertitur. Probabilius affirmandum videtur. *V. Comp. n. 193, 196.*

2^o Quod ad reliqua spectat, non est absolute necessarium ut pœnitens ea sciat hic et nunc, modo habeat voluntatem illa addiscendi, et doleat de sua negligentia, si fuit culpabilis. Si tamen dilatio absolutionis requiri videatur, ut pœnitens ad scitu necessaria addiscenda inducatur, medium illud adhibendum erit.

186. — *R. ad 3^m Quæ.* MACARIUS, Confessarius, magis est increpandus et objurgandus, quippe qui SIMPLICIUM seu hominem rudem adeo dure a se repellit, et sic a Sacramentis deterret. Debebat enim vel illum instruere, si posset, vel procurare media ut per alium instrueretur, vel saltem blande ad paucos dies remittere, enixe rogando ut quamprimum reverteretur. Si vero timeat ne non redeat, vel ne cum eadem ignorantia iterum accedat, ut sæpius conjicere fas est, eum instruere et ad absolutionem disponere debet. Tunc autem non erit necesse ut pœnitens memoriter omnia credenda sciat, sed satis est ut illa sciat quoad substantiam. Proponat igitur illi Confessarius præcipuos Fidei articulos, et de singulis cum eo actum Fidei eliciat, et postea eum adhortetur ut deinceps eadem melius addiscere velit, et tandem ei absolutionem impertiat. Facilius quidem est pœnitentem absque absolutione dimittere, velut indispositum; sed cave, o MACARI, ne damnes facile salvandum! Cave ne hæc ovicula Christi a lupo infernali tibi eripiat!

CASUS II.

ACTUS FIDEI, ET PRAXIS CONFESSARII.

1^o BLANDINA, pia mulier, audivit a concionatore eliciendos esse frequenter actus Fidei, sicut et cæterarum virtutum theologiarum, quapropter vehementer timet ne huic præcepto non satisfecerit, et ita graviter deliquerit. Quærit igitur quoties hujusmodi actus sint eliciendi?

2^o SYLVINUS, Confessarius, non solet interrogare pœnitentes an actus Fidei interdum eliciant, vel an necessario scienda et credenda sufficienter intelligant ac retineant, etiamsi occurrant pœnitentes a multis annis de salute et Sacramentis incuriosi. Sic agit præcipue erga matronas et viros conspicuos, quos interrogare non audet.

HINC :

- QUÆR. 1^o *Quandonam actus Fidei sint eliciendi?*
 2^o *Quid de BLANDINA sentiendum?*
 3^o *Quid de ratione agendi SYLVINI Confessarii?*

SOLUTIO :

187. — *R. ad 1^m Quæ.* Actus Fidei sunt in vita frequenter eliciendi, quia

homo, ad finem supernaturalem elevatus, ad Deum tendere debet, tanquam finem suum ultimum, et media supernaturalia apprehendere, quatenus per Fidem sunt nobis manifestata. Quoties autem actus Fidei eliciendi sint, non conveniunt Theologi. Juxta plures, eliciendi sunt semel in mense, et idem dicunt de actibus Spei et Caritatis; sed multi ad duos, tres aut etiam sex menses; imo quidam ad annum tempus illud protrahunt. Cæterum, sufficienter huic præcepto satisfit, alios Religionis actus exercendo.

188. — *R. ad 2^m Quæ.* BLANDINA, cum sit devota mulier, non debet esse anxia circa obligationem actus Fidei eliciendi, quippe quæ frequentissime Fide erigitur in vita devota sectanda. Pacem igitur habeat, et oret pro aliis bene multis qui, terrenis rebus irretiti, rarius ad superna per Fidem eriguntur.

189. — *R. ad 3^m Quæ.* Confessarius non tenetur specialiter interrogare circa actus Fidei pœnitentes; præsumuntur enim sufficienter præcepto divino satisfacere, nisi gravis ratio specialis oppositum suadeat. Nec tenetur interrogare de scientia necessaria eos qui videntur sufficienter instructi, ut sunt plerumque ii qui non raro confitentur. Quoad cæteros vero, id optime monet *Lugo*: cum adeo hæc obligatio, quoad tempus quo urget, incerta sit, et cum hac ipsa de causa, partim non cognoscatur, et partim omissio, si unquam adesset, non advertatur, hinc fit ut neque in pœnitentibus de hoc confitendi, neque in Confessariis de hoc interrogandi mos habeatur.

CASUS III.

MULIER HÆRETICA IN MORTE ABSOLUTA.

ELPIDIA, mulier hæretica, incidit in morbum lethalem. Vir ejus catholicus tendit ocius ad Parochum, enixe ab eo petens ut dignetur uxorem suam invisere, eamque ad mortem christianam disponere, ita tamen ut de Purgatorio, de Indulgentiis et de confessione sacramentali, omnino præscindat, ex eo quod in his nulla spes successus detur. Obtemperat Parochus, et illico sponsum secutus, invenit ELPIDIAM cum morte luctantem; elicit cum ea actum Fidei in Deum unum et trinum, in Christum, et præcipua quæ vera Fides credenda proponit. Eamdem ad dolorem universalem de peccatis disponit, et tandem sub conditione absolvit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An ELPIDIA absolvi potuerit, saltem conditionate; seu, an Parochus recte egerit?*

2^o *An hæc mulier, taliter absoluta, sepeliri potuerit in loco sacro?*

190. — *R. ad 1^m Quæ.* Sic respondet *Elbel* ad hunc casum quem proponit: Omnino bene et laudabiliter egit Parochus, quia conatus fuit, modo meliori quo in his circumstantiis fieri poterat, procurare animæ hujus salutem. Sed magna hic urget difficultas: ubinam est confessio? Quomodo potest etiam præsumi? Si ELPIDIA sensibus destituta reperiretur,

utique posset præsumi quod, ratione gaudens, vellet ad veram Fidem converti et per suspiria confiteri. Attamen id videtur admittendum quod dicit *Lacroix* in tali casu : Potest Sacerdos, ait, propositis præcipuis Fidei articulis qui ab hæreticis admittuntur, moribundum interrogare an, si sciret se non esse in vera Fide, vellet veram amplecti, et facere omnia ad salutem necessaria; an vellet confiteri et absolvi, si hoc ad salutem esset necessarium. Si ad hæc annuat, absolvi poterit sub conditione. *Lacroix*, l. 6, p. 2, n. 1866, post *Gobat* et alios.

191. — *R. ad 2^m Quæst. Affirm.*, modo scandalum abfuerit. Ratio est, quia supponitur *ELPIDIA* dedisse signa pœnitentiæ in articulo mortis, et probabiliter valide absoluta fuit, tum a peccatis, tum a censuris. Nec obstat quod dubium aliquod esse possit, utrum mulier etiam formaliter hæretica fuerit; quia, stante dubio, in benigniorem partem inclinandum est. *Elbel*, n. 36. — *Lacroix*, l. 7, n. 263.

CASUS IV.

DE PROFESSIONE FIDEI 1^o.

1^o *MATHURINUS*, Sacerdos et Religiosus, in locis hæreticorum Missionarius, fervente persecutione, deprehenditur, atque ad tribunal traductus interrogatur : an sit catholicus? an Sacerdos, an Religiosus? an Missam in hac regione celebraverit? an noverit constitutiones regionis, quibus professio Religionis catholicæ prohibetur? — Ad primum *affirmative* respondet *MATHURINUS*; ad cætera vero, *negative*, et sic obtinet ut dimittatur.

2^o *LUCIANUS* vero, in iisdem rerum adjunctis, interrogatus an sit papista, vel cujus sit religionis, aliis respondet æquivoce, aliis vero ait : *Non sum papista, mea religio est evangelica seu vera religio*. Interroganti vero alicui privato respondet : *Quid ad te?* vel alia similia.

HINC :

- QUÆR. 1^o *Quandonam sit obligatio Fidem exterius profitendi?*
 2^o *An MATHURINUS fuerit obligatus, sub gravi, ad fatendum se esse catholicum, et utrum potuerit cætera negare, vel dissimulare?*
 3^o *An LUCIANUS potuerit negare se esse papistam, et dicere se pertinere ad evangelicam religionem?*
 4^o *An liceat Fidem dissimulare, vel responsum denegare privatis interrogantibus?*

SOLUTIO :

192. *R. ad 1^m Quæst.* Datur obligatio sub gravi, de jure naturali, Fidem confitendi, quando honor Deo debitus, vel utilitas proximi secus cessaret, aut detrimentum notabile pateretur : v. g. si sequeretur Religionis contemptus, fidelium perversio aut scandalum, etc. *V. Comp.* n. 189.

R. ad 2^m Quæst. 1^o *MATHURINUS* non tantum laudabiliter egit, sed etiam,

sub gravi, debuit fateri se esse catholicum, quia tenemur profiteri Fidem quoties id exigit gloria Dei et Christi; atqui, in his circumstantiis, ex negatione vel dissimulatione *MATHURINI*, honor Dei et Christi periclitatus fuisset, quia utrique magnus honor fuisset ademptus, ut patet. Ergo... Constat insuper ex propositione 18^a damnata ab *Innoc. XI*.

2^o Non peccavit contra Fidem *MATHURINUS*, cætera negando, quia non spectant directe et essentialiter ad Fidem, cum sint multi boni catholici qui non sunt Sacerdotes, neque Religiosi, etc. Hæc igitur quæ negavit sunt quid accessorium, et per accidens tantum se habent ad veram Fidem. Præterea, jam Fidem confessus est, se fatendo catholicum; ergo, nisi hoc retractet, Fidem negare minime censetur. Insuper, mens interrogantium est, non amplius inquirendi de Fide catholica, cum ipsi ab eo veritatem noverint, sed tantum accidentales criminis qualitates dignoscendi. Ergo *MATHURINUS*, cum licita restrictione mentali, cætera hæc negare potuit.

193. — *Ad 3^m Quæst.* *LUCIANUS* non potuit neque negare se esse papistam, neque æquivoce respondere, quia hæc interrogatio æquivalet huic : an sit catholicus? Quemadmodum igitur nunquam licet negare se esse catholicum, ita non licet negare se esse papistam. Neque magis licet effugium verbis æquivocis quærere, quia in his circumstantiis urget obligatio veram Fidem profitendi. *Elbel*, n. 61. — *Tambur.*, etc. Non est autem semper verum quod interrogatus, etiam a potestate publica, teneatur positive Fidem confiteri; nam id solum requiritur quando quis interrogatur in odium Fidei, vel quando necessarium est, ne præsentibus videatur Fidem negasse. *S. Lig. referens Busemb.* n. 13.

194. — *R. ad 4^m Quæst.* Distinguendum est : *Neg.* si interrogatio fiat in odium Fidei; secus vero in circumstantiis in quibus nullum præsentibus creatur scandalum, seu nulla apparet Fidei negatio, quia tunc nulla est obligatio Fidem confitendi, et verbis æquivocis uti, aut tacere licet. *S. Lig.* n. 13. — *V. Comp.* n. 190.

CASUS V.

DE PROFESSIONE FIDEI 2^o.

EDMUNDUS, apud infideles Missionarius, sæviante adversus christianos persecutione, fidelibus permittit, ad insidias persecutorum vitandas, ut nomina, quæ inter infideles communia habentur, usurpent, et etiam ut vestes nationis proprias adhibeant, licet, nova lege Principis, in signum falsæ religionis declarativum determinatæ sint. Ipse vero, ne detegatur, iisdem vestibus induitur, quibus ministri falsi cultus utuntur.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An liceat, ad persecutionem vitandam, uti signis aut vestibus hæreticorum?*
 2^o *An Missionarius, ad se occultandum, indui possit vestibus ministrorum falsæ religionis, ita ut unus ex ipsis appareat?*

SOLUTIO :

195. — *R. ad 1^m Quæst. Affirm.* si vestes et signa sint propria regionis, licet tota regio sit infidelis; imo, affirmo etiam, probabilius, licet hæc sint propria religionis, dummodo instituta non sint exclusive ad sectam profitendam, ut sunt ornamenta quibus Sacerdotes utuntur in functionum suarum exercitio. *V. Comp. n. 191.*

196. — *R. ad 2^m Quæst. Affirm.* etiam in sensu distinctionis modo datæ. Vestes enim primario ad corpus tegendum inserviunt; et proinde non sunt tantum signa declarativa sectæ alicujus. *S. Lig. n. 15.*

CASUS VI.

DE PROFESSIONE FIDEI 3^o.

PATERNUS, minister protestans, dum extremo occumberet, ratus Religionem catholicam esse solam veram, postulavit ut ad se advocaretur secreto Sacerdos hujus religionis, qui tamen sub vestibus secularibus adveniret, ad declinandam omnem suspicionem abjurandæ hæreseos. Itaque Sacerdoti præsentem aperuit mentem suam, petens humiliter baptizari, sed cum duabus appositis conditionibus, scilicet: 1^o ut si ex morbo decumberet, sibi liceret moriendo dissimulare Fidem catholicam et Baptismum susceptum; 2^o ut si convalesceret, sibi permetteretur expectare occasionem opportuniorem ad Fidem, sine periculo honorum, exterius profitendam? Utrique conditioni libenter annuit Confessarius.

HINC :

QUÆR. 1^o An PATERNO permitti potuit prima conditio, seu ut moriendo Fidem dissimularet?

2^o An concedi potuit secunda conditio, seu, ut, si convalesceret, occasionem opportuniorem expectaret ad catholicam Fidem profitendam?

SOLUTIO :

197. — *R. ad 1^m Quæst.* Minime concedi potuit PATERNO prima conditio: ratio est, quia tenebatur ante mortem Fidem veram profiteri, erroresque quos docuerat revocare; secus, velut indispositus, ad Baptismi gratiam admitti non potuit: quivis enim fidelium tenetur Fidem profiteri, non obstante quacumque jactura, quando id exigit honor Dei et salus proximi; atqui, in iis circumstantiis, tum honor Dei, tum salus proximi externam Fidei professionem a PATERNO exigebat, scilicet ad errores quos docuerat extirpandos: ergo... Si tamen, omnibus adhibitis experimentis, persuaderi nequeat, ultimi remedii loco, inducendus esset ut coram pluribus testibus protestetur se Religionem catholicam profiteri et in ea velle mori; vel asserat se magni momenti secretum Sacerdoti catholico commisisse, post obitum suum revelandum. Hoc enim modo, obligationi suæ forsân satisfaciet. A fortiori id peragi posset, si PATERNUS non minister, sed simplex hæreticus esset. *Elbel, n. 67. Pruden-*

ter vero aget Confessarius, si non statim totam obligationem manifestet, sed leviolem prius declaret, ut, ea admissa, pœnitens ad majorem deduci queat.

198. — *R. ad 2^m Quæst.* Conditio altera PATERNO concedi potuit, urgente gravi ratione, quia licet veram Fidem ad tempus dissimulare, ob maxima incommoda quæ ex professione publica sequerentur. Nullatenus tamen ei permittendum fuit ut exerceret actus hæresis declarativos, v. g. exercendo officium pastoris hæretici, vel Sacramenta more hæreticorum ministrando, eosve sermonibus adhortando; quia in nullo casu fas est falsam sectam profiteri, et veram Religionem negare. *Elbel, n. 67. — Tamburinus, l. 2 Decalog., c. 1, § 3.*

CASUS VII.

COMMUNICATIO CUM HÆRETICIS.

1^o LEONARDUS, in locis hæreticorum degens, aliquoties, curiositatis causa, funera catholicorum comitatur; eorum nuptiis, baptismo et cœnæ, ut merus spectator, assistit. Iter agens, impios hæreticorum sermones sæpius audivit, ab iis quidem abhorrens, sed tamen tacens.

2^o LEOCADIA, Monialis, addicta hospitio, in quo recipiuntur infirmi non solum catholici, sed etiam hæretici, rogatur a QUIRINO, protestante, graviter decumbente, ut suæ sectæ ministrum accersat, a quo Religionis auxilia recipiat. Nescit autem LEOCADIA an ei obtemperare possit.

HINC :

QUÆR. 1^o An liceat, vel quando liceat communicare cum hæreticis?

2^o An liceat eorum templa invisere, et eorum cæremoniis interesse?

3^o Quid de LEONARDO dicendum?

4^o An LEOCADIA in secundo casu ministrum protestantem accersere possit?

SOLUTIO :

199. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o Hæretici non sunt necessario vitandi, neque in civilibus, neque in Sacris, seu in Ecclesia et cæremoniis catholicorum, quibus forte interveniunt. Etenim, ex concessione *Martini V, soli vitandi sunt* ii qui proprio nomine excommunicantur. Sed hujusmodi excommunicati fere nunquam nostris temporibus cernuntur. 2^o Hæretici non possunt speciatim invitari ad orationes publicas, seu ad cæremonias religiosas catholicorum. Etenim, si Ecclesia temperavit rigorem juris antiqui in favorem fidelium, voluit tantum tollere incommodum quod habebatur, quando hæretici et alii excommunicati vitandi erant, etiam templum vel oratorium deserendo, ubi comparebant; sed favere noluit communicationi cum eis in Sacris.

200. — *R. ad 2^m Quæst.* Non est peccatum templa hæreticorum vel infidelium ex mera curiositate visitare, quia in hoc nihil est contra Fidem,

nec id prohibetur. Sed non licet eorum cæremoniis proprie religionis, seu quæ ad Fidem spectant, interesse, ita ut catholicis cæremoniæ veluti religiosæ particeps fiat; quia esset cooperatio in re illicita. Constat etiam ex sequenti Decisione S. Officii, 10 Maii 1770 :

« Sanctissimus decrevit catholicis *regulariter non licere* hæreticorum « aut schismaticorum *concionibus, baptismis et matrimoniis* interesse; « *absolute autem non licere nec per se, nec per alios fungi officio patrini* « *in baptismis quæ hæreticorum filiis ab hæreticis ministrantur.* » Animadvertendum est, per illud *regulariter*, S. Officium innuere ne permitti quidem ejusmodi assistentiam, civilis tantum obsequii gratia, nisi adsit aliqua gravis causa.

201. — R. ad 3^m Quærs. LEONARDUS non peccavit *per se* comitando, saltem extra eorum templa, funera hæreticorum, secluso præcepto particulari, quo id prohibeatur; quia hæc proprie ad Fidem non spectant, et reputantur obsequium mere civile. Secus dicendum de assistentia baptismo, cœnæ, etc., quia cæremoniæ illæ religiosæ sunt. Intellige tamen hoc sensu, si non ut merus spectator astiterit, sed veluti religiosæ cæremoniæ particeps, aut civilis obsequii gratia, sine gravi causa. V. *Comp. n. 192.*

2^o LEONARDUS non peccavit contra Fidem, sermones hæreticorum audiendo, et tacendo; quia nullum consensum iis præbuit. Sed potuit peccare contra obligationem de jure naturali defendendi Religionem, si respondere potuit. Cuilibet enim catholico incumbit obligatio defendendi Religionem contra hæreticos et impios homines. Verum, si successum non speraverit ex suis responsis, tacendo prudenter egit, modo cum hæreticis connivere non visus fuerit. Præterea sufficiens etiam tacendi ratio esset metus ne hæreticus pejor fiat, etsi confutari posset.

Imo LEONARDUS omnino tacere debuit *per se*, si fuerit indoctus, quia laici sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ prohibentur a disputatione cum hæreticis et infidelibus, ex Decreto *Alexandri IV, in Sexto, l. 5. tit. 2, cap. 2.* Excipiunt vero Theologi, seu interpretes juris, casum necessitatis, in quo laicus sat doctus, deficiente Clerico capaci, Fidem a diceriis hæretici vel increduli defendere potest. Tunc enim loqui tenetur ob proximi salutem et Fidei honorem. Ita *Antoine, tom. 2. — Bouvier, de primo præc. Decalogi, etc.* Dicit etiam *Antoine, ibid., cum Ferraris, verbo Fides, 40,* hanc prohibitionem per contrariam consuetudinem abrogatam esse in regionibus in quibus hæretici cum catholicis miscentur.

202. — R. ad 4^m Quærs. *Neg.* Ratio patet; esset enim communicatio cum hæreticis in re ad Religionem pertinente, et cooperatio proprie dicta.

Constat etiam ex sequenti responsione S. Congr. *Inquisitionis*, die 15 Mart. 1848 :

« BEATISSIME PATER,

« D. N..... Sanctitati Vestræ humiliter exponit, quod in civitate M..... « existat hospitium cujus ipse Rector et Capellanus est, ac in quo infirmo- « rum curam gerunt Moniales dictæ M. N. Cum autem in hoc hospitio « subinde recipiantur acatholicæ religionis sectatores, ac iidem ministrum

« hæreticum, a quo Religionis auxilia et solatia recipiant, identidem pe- « tant; quæritur utrum præfatis Monialibus falsæ religionis ministrum ad- « vocare licitum sit? Quæritur insuper utrum eadem danda sit solutio, « ubi hæreticus infirmus in domo privata cujusdam catholici degit; utrum « scilicet tunc catholicus ministrum hæreticum advocare licite possit?

« FERIA IV, die 15 Martii 1848.

« In Congregatione generali S. Rom. et universalis Inquisitionis ha- « bita in conventu S. Mariæ supra Minervam coram Emin. et Rever. S. « R. E. Cardinalibus in tota republica christiana contra hæreticam pra- « vitatem generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter « deputatis, audita relatione suprascripti supplicis libelli, una cum voto « DD. Consultorum; iidem Emin. et Revend. Domini dixerunt: *Juxta* « *exposita, NON LICERE; et addiderunt: Passive se habeant.*

« † Loco sigilli.

« ANGELUS ARGENTI,

« S. Rom. et univers. Inquisit. Secretarius. »

(*Mélanges théologiques. Liège, 1848, tome 2, page 86.*)

CASUS VIII.

DE SPE 1^o.

ARGYRPHILUS, divitiis et vitæ præsentis tam perditæ addictus est, ut de nulla alia re cogitet, nisi de thesaurizando super terram. Millenis annis, imo perpetuo in terris degere exoptaret. Cum autem, ingruente morte, meliora cepisset consilia, in cœlestem patriam tandem respicit. Sed ecce! multitudine peccatorum terrefactus, judicium futurum adeo formidat, ut de misericordia divina consequenda jam desperet, et vix a Confessario erigi possit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An graviter peccaverit contra Spem ARGYRPHILUS, hisce terrenis desideriiis?*

2^o *An graviter etiam peccaverit contra nimio timore?*

SOLUTIO :

203. — R. ad 1^m Quærs. *Affirm.* Etenim peccavit graviter ARGYRPHILUS contra virtutem Spei, quia res temporales constituit tanquam finem suum ultimum veramque beatitudinem, cum eas Deo ipsi anteponat, volens, ex inordinato creaturarum amore, Deo carere. *Voit, n. 38.*

R. ad 2^m Quærs. Iterum contra Spem graviter peccavit, si desperationis tentationi perfecte consensit, seu si deliberate omnino de salute desperavit. Secus, si desperatio imperfecta fuerit, vel si, non diffidens de misericordia divina, timeat ne peccata defectu contritionis non fuerint remissa, vel ne cadat in peccatum propter cognitam suam fragilitatem, modo timor non sit immoderatus. *Voit, n. 391.*